

domada; ita tradunt Bauldry in Manual. sacr. cæremon. part. 1, cap. 11, de Vesper. art. 1, num. 4 et 11. Mèrat. part. 3, tit. 11, fol. mihi 364, optime Cardinal. de Luca de Miscellan. Eccles. discours. 38, num. 8, et duob. sequent., tum etiam optime Castald. in Prax. cæremonial. lib. II, sect. 1, cap. 3, n. 13, et sequent.

HEBRÆUS.

SUMMARIUM.

1. 18. Variæ de Hebræis dispositiones ex sacris congregationibus et ex Summorum Pontificum Constitutionibus. — 19. 20. Edictum quo plura Hebræis interduntur. — 21. Clem. XI constitutio de bonis infidelium conversorum affertur. — 22. 23. Quæ facere prohibeantur qui ab Hebræis originem ducunt. — 26. 37. Quo pacto possint Hebræi inter christianos commorari, et quibus de causis expelli.

(1. Hebræus confugiens ad Ecclesiam gaudet privilegio immunitatis Eccles. sacr. congr. Immun. In Sarzanen. 26 Sept. 1631, lib. IV, decret. Pauluc., pag. 161 (20).

(2. Hebræus, seu Judæus captus a Birruariis sub tecto, seu stillicidio Ecclesie gaudet immunitate; ead. sacr. congr. Immun. in Pisaren. 26 Mart. 1686. lib. III, dec. Altov. pag. 350.

(3. Hebræus, seu Judæus dolose extractus ab atrio inquisitionis Anconæ est restituendus; ead. s. congr. Immun. in Anconit. 17 Nov. 1699, lib. II; decr. Vallem., pag. 236.

(4. Cognitio causæ commercii carnalis habitus cum duabus sororibus christianis, spectat ad curiam episcopalem, ead. sacr. congregat. Immun. in Mantuana 7 Junii 1678, lib. II, decret. Alt., pag. 1749 (21).

(5. Causa rixæ Hebræorum secutæ in eorum synagoga die festo eorundem Hebræorum, attentata præventionem, spectat ad curiam sæcularem; ead. sac. cong. in Senogalien. 15 Jan. 1686, lib. decr. Altov., pag. 527.

(6. Hebræa mulier, viro relicto, christianam fidem amplexa fuit, permansitque innupta, sperans ejus virum catholicam Religionem amplexurum, qui ducta alia muliere Hebræa in uxorem, post multos annos una cum ipsa catholicam fidem amplexus fuit; ipsa autem repetente virum sac. congr. Concil. in Florentina Matrimonii 1 Jul. 1679, respondit referendum Sanctissimo ejus votum, scilicet debere virum redire ad primam. Sic apud Ursayam in Miscellaneo sacro et profano, p. 1, verb. *Hebræa*.

(7. Manutendi sunt parochi in possessione exigendi a Judæis pretaticum vulgo nuncupatum, pro decimis, oblationibus, aliisque incertis, quæ a christianis perci-

(20) Tuta parum quibusdam videri posset isthæc propositio, recta tamen, aut rationabilis est ex auctoritate etiam sacræ Immunitatis congregationis. Cum enim tale privilegium a Summo Pontifice non delinquentium, vel personarum intuitu, sed in Dei cultum ac venerationem locorum habita ratione unice concessum fuerit, hinc liquet, quod quicumque ad Ecclesiam confugit, sive christianus sive Hebræus sit, immunitatis privilegio gaudebit, ut firman Barbos. in collect. tom. I, lib. V, tit. 49, c. 6, nu. 50. Faber. in cod. I, II, de his qui ad Eccles.

(26. Non ignoro, sacram Rituum congregationem anno 1757, in Balneoregien. sensisse, quod et in vesperis canonicus Hebdomadarius paratus sedere debeat in scamno panno cooperto a cornu Epistolæ præparato. At ita sensit, et peculiaribus facti circumstantiis.

— 38. 90. Plura de libro Talmud Hebræorum. — 91. 92. Hujus libri damnatio. — 93. Hebræorum lingua difficilis. — 94. Hebræi unde dicti. *Remissive*. — 95. Bened. XIII constit. *Alias emanarunt*. — 96. Hebræi sunt in servitute civili. — 97. 106. De Hebræorum baptismo. — 107. Eorum immunitas. — 108. Nonnulla christianis vetita. — 109. 119. De jure Hebræorum. — 120. Benedicti XIV epistola de baptismo Hebræorum. — 121. 127. De eorum usuris. — 128. 152. De jure eorum quædam corriguntur.

piebant, antequam eorum domus ad ipsos Judæos quocunque titulo devenissent, textu expresso in cap. *Quanto, de usur.* et cap. *De terris, de decimis*, et concordat cap. *Nimis prava, de excessib. Prælat.* et late probat et multis Pignat. tom. V, consult. 70 per tot. ubi num. 14, dicit quo ad quantitatem hujusmodi pretatici standum esse consuetudini, et transactionibus; card. de Luca tamen de *Parochis* disc. 29, num. 3. dicit quod Hebræi non tenentur aliquid reficere parochi pro domibus per ipsos inhabitatis, et prius per Christianos.

(8. Hebræi in urbe obligantur ad observationem festorum, quæ servat Ecclesia; Paulus IV const. 3, incip. *Cum nimis absurdum* § 2, apud Laert. Cherub. in *Magno Bullar.* tom. I, pag. 720, alias pag. 389, in novis impres.

(9. Hebræi omnes debent habitare in uno eodemque loco, et si ille capax non fuerit, in duobus, vel tribus, aut quot satis sint contiguis, ad quos unicus tantum ingressus pateat, et a quibus non detur exitus; Paulus IV, in d. constit. 3, Pius V, constit. 6, inc. *Rom. Pontifex* apud Laert. Cherub. in *magno Bullario*, tom. II, pag. 181, alias pag. 136, noviss. impress.

(10. Hebræi utriusque sexus qualitate habitus a christianis discerni debent, ita ut masculi birretum, femine vero aliud signum patens, quod nullo modo celari, aut abscondi possit, palam deferre teneantur, nec super non delatione birreti, aut alterius signi hujusmodi cujusvis eorum gradus, vel præeminentiæ, vel tolerantia causa excusari, aut per camerarium, vel sedis Apost. legatos absolvi possint; Paulus IV, d. const. 3, et Pius V, d. Const. 6.

(11. Hebræi ne de cætero auderent quovis confugiunt et in § *Sed et hoc*, num. 3. Inst. de *His qui sui sunt vel alien. jur. et Diana oper.* Moral. tract. 4, res 43 et seqq. per tot. Tom. III, quidquid in contrarium sentiant Megala in 3, p. lib. IV, c. 2, num. 3 et 16, ac distinguit Suar. de Relig. tom. I, tract. 2, lib. III, cap. 10, num. 11. (EDIT. BARBIELL.)

(21) Qua autem pena plectatur Hebræus cum christiana, vel e contra rem habens, fusc videre es' apud Oldrad cons. 353, et apud Carpozov. Jurispr. forens. part. 4, const. 26, def. 4. (EDIT. BARBIELL.)

prætextu, et quæstionis colore, etiam emptionis, et venditionis bonorum, ingredi domus meretricum, et si quid ab eis prætenderent habere, et ob id eas alloqui vellent, id in portis, et januis domorum earumdem mulierum apertis facerent, et non intra easdem domos, facere liceret, neve dictas mulieres ad eos pro similibus negotiis emptiois, et venditionis accedentes permetterent domos, et apotechas suas ingredi, sed tantum in illarum portis, et januis, et foribus apertis cum eis alloqui, et tractare possent sub pœna privationis a synagoga, et gravi pecuniaria præcepit S. Pius V, mediante ejus vicario sub die 20 Maii 1566.

(12. Hebræi medici, aut alias infideles, ne ad curandos christianos infirmos admittantur, imposita christianis pœna subtractionis sacramentorum, et sepultura ecclesiasticæ, prohibuit Gregor. XIII, const. 68, incip. *Alias pie memoriæ* apud Laert. Cherub. in *Magno Bullario* tom. II, pag. 449, et de illa meminit Scortia in *Select. Summor. Pontific. constit.* epit. 136.

(13. Hebræis qualibet hebdomada verbum Dei est prædicandum, et id curent prælati in terris, ubi sunt eorum synagoga (non tamen in loco sacro vel ubi sacra confici solent) per aliquem magistrum in theologia, aut alium idoneum virum, Hebraicæ, si fieri potest, lingua peritum, qui scripturas Veteris Testamenti exponat Gregor. XIII, constit. 92, incip. *Sancta Mater* de anno 1584 apud Laert. Cherub. in *magno Bull.* tom. II, pag. 479, alias pag. 360, in noviss. impress. et illius meminit Scortia in *Select. Summ. Pont. constit.* epit. 136. Et novissime Clemens XIII constit. incip. *Propagandæ* § 20; vide infra sub. num. 21, ubi affertur per extensum.

(14. Hebræi sola arte stracciarie, seu cenciariæ contenti esse debent ad tollendam, quantum fieri potest, occasionem familiaritatis inter illos, et christianos; Paulus IV, in d. const. 3, § 1.

(15. Hebræorum per plateas non est deferenda sanctissima Eucharistia; s. cong. Rit. in Anconitana 22 Feb. 1593.

(16. Hebræorum accessus ad monasteria monialium nullo modo permitti debet ad alloquendum cum illis; sac. cong. Episcop. et Regul. in *Ravennaten.* 28.

(17. Inquisitiones libere contra Hebræos procedere possunt in sequentibus casibus: Si negaverint, quæ circa fidem communia sunt cum christianis. Si demones invocaverint, aut eis immolaverint. Si quem christianum hæc docuerint, vel ad ea perduxerint. Si hæreticas blasphemias dixerint. Si christianum a fide deviaverint. Si infideles ad fidem Christi transire impederint. Si hæreticum scienter receptaverint. Si libros hæreticos, vel thaludicos, aut alios judaicos quomodolibet damnatos tenuerint. Si hostiam salutarem, aut crucem, et similia, vel christianos deriserint. Si nutrices christianas retinuerint, vel easdem ab hac die, qua Eucharistiæ sacramentum sumpserint, lac in latrinas effundere coegerint. Gregor. XIII,

const. 70, inc. *Antiqua Judæorum*, de anno 1583, apud Laert. Cherub. in *magno Bullario* t. II, p. 42, et de illius materia Scortia in *sel. Summ. Pontif. constit. epit.* 132. Vid. const. 20, Clem. VIII, incip. *Cum Hebræorum malitia*, de anno 1593, apud Laert. Cherub. t. III, pag. 25.

(18. Non potest prohiberi regularibus, ne prædicent, vel ne confessiones audiant sub prætextu, quod originem duxerint ab Hebræis; sac. congregat. Episc. et Regul. in *Elboren.* 16 Novembris 1621.

(19. Edictum, quo plura Judæis interduntur ad tollendas corruptelas, et abusus ex illorum cum christianis consuetudine provenientes.

Gasparo per la misericordia di Dio vescovo di Sabina, della S. R. C. cardinale di Carpegna, della Santità di Nostro Signore vicario generale, ec.

La Santità di nostro Signore volendo con suo pastoral zelo provvedere agl' inconvenienti, che procedono dalla communicazione de' Cristiani con gli Ebrei nelle cose proibite da' Sommi Pontefici, particolarmente dalla san. mem. di Paolo IV, nella sua costituzione, la quale comincia: *Cum nimis absurdum*, e dalla dichiarazione fatta da S. Pio V, e pubblicata dal cardinal Savelli suo vicario sotto li 11 Gennajo 1572, ordina e comanda a tutti gli Ebrei, li quali dimorano in Roma, di non farsi servire da Cristiani, particolarmente da Fanciulli, o Fanciulle nelle sere del Venerdì, e giorni di Sabato per accendere il fuoco, e lumi, per la provvisione de' comestibili, nè li suddetti Cristiani possano andare a servirli.

In oltre ordina, che li suddetti Ebrei non vadano a lavorare nelle Domeniche, ed in altri giorni festivi di precetto in case di Cristiani, molto meno in case de' sacerdoti, e conventi de' regolari, nè questi debbano in conto alcuno ammetterli.

Finalmente inerendo all' editto pubblicato nel tempo della Sa. Me. di Clemente VIII, sotto li 6 Ottobre 1604, si proibisce alli medesimi Ebrei di vendere e donare il loro pane azimo, detto volgarmente l'*azimelle*, alli Cristiani di qualsivoglia stato, grado e condizione, nè questi lo debbano ricevere sotto pena in caso di transgressione di ciascheduna delle suddette alli Cristiani di scudi cinquanta, alla quale rispetto alli Fanciulli, e Fanciulle saranno tenuti i loro padri, o quelli che hanno cura di loro; agli Ebrei parimenti sotto pena di scudi cinquanta, e di tre tratti di corda, ed altre pene ad arbitrio della Santità Sua.

Volendo che il presente editto pubblicato, ed affisso ne' luoghi soliti di Roma, obbli ghi tutti, e ciascheduno, come se gli fosse stato personalmente intimato.

Dato in Roma dalla nostra solita residenza questo dì 2 Aprile 1708.

G. CARD. VICARIO.

N. A. Can. Cuggio Seg.

(20. Edictum quo mulieres judææ no-

cturno tempore e septis judaicæ nationis in alma urbe constitutis exire prohibentur.

Gasparo per la misericordia di Dio vescovo di Sabina, della S. R. C. cardinale di Carpegna, della Santità di Nostro Signore vicario generale, ec.

Essendo pervenuti a notizia della Santità di Nostro Signore li grandi inconvenienti, che nascono, e ponno nascere dalla gran quantità delle donne Ebreæ, che escono di notte dal Ghetto, e si trattengono nell' Osterie, e che vanno a passeggiare per piazza Navone, ed altri luoghi, dove vi si fanno fuochi, o feste da' Cristiani, contro gli editti altre volte emanati, e volendo rimediare a tanto disordine, per ordine ancora datoci a bocca da Nostro Signore, rinnovando primieramente tutte le proibizioni emanate dal nostro tribunale contro gli Ebrei circa l'uscir di notte dal Ghetto, ordiniamo e comandiamo a tutte, e singole donne Ebreæ di qualsivoglia età, che non ardiscano per qualsivoglia causa uscire dal Ghetto, nè trattenersi fuori di quello dopo l'ora solita che si permette di tenere aperto lo sportelletto del Portone di esso Ghetto, sotto la pena di scudi dieci, e della frusta da eseguirsi irremissibilmente, contro quelle donne, che si troveranno fuori del Ghetto dopo di detta ora, non ostante che avessero qualsisia licenza, benchè speciale, e specialissima, benchè fossero in compagnia de' loro mariti, padri, e fratelli, o altri parenti più prossimi, e similmente ordiniamo al portinaro cristiano del Ghetto, che non ardisca permettere, che niuna di dette donne esca dal Ghetto vicino alla dett' ora, il quale in ogni caso di trasgressione incorrerà incontamente nella medesima pena di scudi dieci per ciascheduna donna che esso farà uscire, ed inoltre la privazione dell' officio, volendo, che il presente, affisso che sarà nelli luoghi soliti del Ghetto, e Portoni, s' intenda come se fosse personalmente intimato a ciascheduno.

Dato dal nostro Palazzo questo dì 5 Agosto 1712.

G. CARD. VICARIO.

N. A. Can. Cuggio Secret.

(21. Judæis, aliisque infidelibus conversis conceditur retentio bonorum, filiisque familias legitima; imo bona illicite quæsitæ, nisi notæ sint personæ, quibus restitui debent, ipsis conversis applicantur; et privilegia civitatis conceduntur. Clemens XI, constit. incip. *Propagandæ per universum*, quæ ut ab omnibus præ oculis habeatur, hic datur ad litteram.

CLEMENS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Propagandæ per universum terrarum orbem christianæ fidei, cujus illibatum, ac perenne depositum romana in primis servat Ecclesia, pro commissi nobis apostolici muneris debito jugiter intendentes, dum in

remotissimas quasque partes Evangelii præcones ablegare satagimus, in eam simul curam diligenter incumbimus, ut quicumque disjectis infidelitatis tenebris ad verum justitiæ solem, qui Christus est agnosendum, eo adjuvante festinant, nullis quoad fieri potest humanarum rerum obstaculis impediantur; sicque ad catholicæ Ecclesiæ gremium ex omni natione, quæ sub cælo est, eo frequentior, quo facilius, expediatur accessus.

§ 1. Quamvis enim non temporalium rerum commodo, sed æternæ potius hæreditatis intuitu ad suscipiendam Christi fidem infideles allici oporteat, quin etiam edoceri, præcipuam christiani hominis gloriam in eo maxime sitam esse, ut terrena despiciat, existimetque omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini nostri; nihilominus rationi congruum et piæ Matris Ecclesiæ institutis consentaneum arbitramur, ita paternam nostram erga eos, qui adhuc in fide parvuli lacte potius quam cibo solido nutriendi sunt providentiam temperare, ut infirmiores quique a christianæ Religionis proposito amittendarum facultatum, incurrendæque potius miseris egestatis horrore non retrahantur: cum potius juxta canonicas sanctiones, eos qui ad fidem veniunt, melioris conditionis esse oporteat post Baptismum, quam antequam fidem susceperint, haberentur, et in illis etiam impleri debeat Christi certa promissio: Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus; et hæc omnia adjicientur vobis.

§ 2. Quam quidem ob causam cum plures romani pontifices prædecessores nostri tradita sibi divinitus in iis, quæ ad ejusdem sanctæ fidei favorem et propagationem pertinent, apostolica potestate, multa in neophytorum commodum privilegia concesserunt, aliis quoque additis ordinationibus, quibus et indemnitati ipsorum, et christianæ Religionis dignitati, et faciliori simul infidelium conversioni consultum foret; præcipue vero fel. rec. Paulus PP. III, apostolicam constitutionem edidit in hæc verba:

§ 3. Paulus Papa tertius. Ad perpetuam rei memoriam. Cupientes Judæos, et alios infideles quoslibet ad fidem catholicam converti, et prætextu bonorum per eos ante possessorum ab eadem fide non distrahi, motu proprio, et ex certa scientia nostra, auctoritate apostolica, tenore præsentium, hac in posterum valitura constitutione sancimus, quod quicumque eorumdem Judæorum, et infidelium, ad dictam fidem converti volenti, etiamsi in patria potestate constitutus fuerit, bona sua quæcunque, tam mobilia, quam immobilia intacta, et illæsa permaneant. Ita ut etiam filiifamilias, et in patria potestate, ut præfertur, constituti, legitima, et quacunque portione bonorum patrimonialium aut maternorum eis de jure, seu successione bonorum, eis alias debitorum, per eorum parentes, fraudari, aut privari non possint, neque debeant; sed eis integre etiamsi contra voluntatem parentum suorum

ad fidem ipsam conversi fuerint, etiam eorum parentibus viventibus, debeantur.

§ 4. Et si bona ipsa, ex usura, aut illicito quæstu fuerint acquisita, et notæ sint personæ, quibus eorum fuerit de jure facienda restitutio (quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur male ablatum) illa eisdem personis omnino restituantur: personis vero non exstantibus prædictis, quia bona ipsa essent per manus Ecclesiæ in pios usus convertenda, bona hujusmodi eisdem Judæis, et aliis infidelibus, in favorem suscepti Baptismatis, tanquam in pium usum libere concedimus, eaque apud ipsos sic conversos Judæos, et alios infideles remanere decernimus. Interdicentes sub divini anathematis pœna quibusvis tam ecclesiasticis, quam sæcularibus personis, ne ullam super bonis hujusmodi quovis quæsitò colore molestiam inferant, aut inferri patiantur; sed magnum se fecisse lucrum existiment, dum tales Christo lucrati fuerint.

§ 5. Et quoniam, ut scriptum est, qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et cluserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in ipso? Si ipsi, conversionis tempore inopes, aut indigentes fuerint, omnes tam ecclesiasticos, quam sæculares per viscera misericordiæ Dei nostri exhortamur, ut ipsis conversis manus porrigant adjutrices; ipsi quoque diocesanii non solum christianos ad subveniendum ipsis exhortamur, sed etiam tam de redditibus ecclesiarum prout poterunt, quam de his, quæ ad pauperum usus per ipsos convertendos devolvuntur, hujusmodi neophytos sustentare non negligant, ipsosque a detractionibus, et contumeliis paterna affectione defendant.

§ 6. Et quoniam per gratiam Baptismi cives sanctorum, et domestici Dei efficiuntur, longæque dignus existit regnare spiritu, quam nasci carne, eadem constitutione statuimus, ut civitatum, et locorum, in quibus sancto Baptismate pro tempore regenerabuntur, vere cives sint, et privilegiis, ac libertatibus, et immunitatibus, quæ aliaratione nativitatis, et originis duntaxat consequuntur, gaudeant.

§ 7. Curent insuper sacerdotes baptizantes, et alii de sacro fonte eos suscipientes, tam ante Baptismum, quam post, illos in articulis fidei, ac legis novæ præceptis, catholicæ Ecclesiæ ritibus diligenter instruere, et tam ipsi quam diocesanii operam dent, ne cum aliis Judæis, seu infidelibus, saltem per longum tempus conversentur, ne, sicut quandoque contingit, ab infirmitate curatis modica occasio ad pristinam damnationem recidivam efficiat.

§ 8. Et quoniam, experientia teste, comperit est mutuum ipsorum neophytorum inter se conversationem, ipsos in fide nostra fragiliores reddere, ac saluti ipsorum plurimum officere, hortamur locorum ordinarios, ut quantum pro incremento fidei viderint expedire, curent, et studeant neophytos ipsos cum originariis christianis matrimonio copulare.

§ 9. Et prohibeant eisdem sub gravibus

pœnis, ne mortuos more Judæorum sepe-liant, aut Sabbata, aliasque solemnitates, et antiquæ sectæ ritus quoquo modo observent, sed et ecclesias, et prædicationes prout alii catholici, frequentent, et in omnibus christianorum moribus se conformes reddant.

§ 10. Contemptores autem prædictorum per sacerdotes, in quorum parochiis degunt, aut alios, ad quos de jure, vel antiqua consuetudine de talibus inquirere spectat, seu etiam per alios quoscumque, diocesanis, seu inquisitoribus hæreticæ pravitate deferant, et invocato si opus fuerit auxilio brachii sæcularis, per eos taliter puniantur, quod aliis transeat in exemplum. Et insuper de his omnibus, in provincialibus, et synodalibus conciliis diligens fiat inquisitio, et tam circa episcopos, et sacerdotes in præmissis negligentes, quam ipsos neophytos, et infideles prædictos contemptores, opportunitate adhibeatur remedium.

§ 11. Si quis autem cujuscunque gradus, vel præminentis fuerit, hujusmodi neophytos, ne observationem ritus christiani, et aliorum præmissorum complectantur, solverit, aut defenderit, pœnas contra fautores hæreticorum promulgatas, ipso facto incurrat; neophyti vero si se corrigere post monitionem canonicam neglexerint, et ad vomitum judaizantes redire comperti sint, contra eos tanquam perfidos hæreticos, per ordinarios locorum secundum sacrorum canonum instituta procedatur.

§ 12. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis privilegiis, indultis, et litteris etiam apostolicis, seu etiam regiis, vel imperialibus eisdem Judæis, vel infidelibus quomodolibet concessis, quæ quatenus in detrimentum catholicæ fidei, aut nominis christiani, seu aliquorum ex præmissis quomodolibet vergant, et ad effectum præsentium cassamus, et irritamus, ac cassa, et irrita esse decernimus, aliis decretis, et constitutionibus apostolicis, quæ super præmissis sunt condita in suo robore duraturis.

§ 13. Et ut hujusmodi sanctæ constitutionis jugis memoria habeatur, et ne quisquam ipsius ignorantiam prætereundum possit, illam per singulas cathedrales et collegiatas ecclesias, aliisque pia loca, in quibus uberius erit fidelium concursus semel in anno ad minus infra divina publicari volumus, et decernimus.

§ 14. Et quia difficile foret præsentibus ad singula quæque loca deferre, volumus, et etiam declaramus, quod earumdem præsentium transumptis, seu copiis, etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus prælati munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, ubicunque forent exhibitæ, vel ostensæ.

§ 15. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die 21 Martii millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, Pontificatus nostri anno octavo.

§ 16. Nos igitur, ne tam salubris constitutionis memoria temporis diuturnitate deti-

ciat, et observantia neglectu cujuscumque obsolescat, aut etiam fidei hostium dolo notitia converti volentibus supprimatur, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, et dilectorum filiorum romanæ curiæ prælatorum, quibus hujusmodi negotium commisimus expediendum, consilio, atque etiam motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine eandem præinsertam constitutionem, omniaque, et singula in ea contenta tenore præsentium confirmamus, approbamus, et innovamus eamque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter observari perpetuis temporibus debere statuimus et mandamus.

§ 17. Simulque ad omnis dubitationis umbram penitus removendam, eadem a memorato Paulo prædecessores statuta clarius explicantes, et quatenus opus sit, etiam amplius extendentes, bona quædam adventitia, quocumque modo talia censeantur, ad filios familias christianam Religionem profitentes, utpote a patriæ potestatis jugo, quo parentibus infidelibus subdebantur, sacri Baptismatis beneficio prorsus exemptos pleno jure spectare, neque super illis usum fructum, aut aliud quodecumque jus, præfatis parentibus, quandiu in infidelitate permanserint, ullo modo competere; e contra vero parentes ipsos, aliosque quoscumque qui conversis eorumque descendentes alias alimenta, seu dotem, præstare quocumque titulo, etiam in subsidium tenerentur, ad eadem alimenta, seu dotem, illis subministranda pariter teneri, et obligatos esse post conversionem eorum, similiter tenore præsentium declaramus, atque etiam ex integro statuimus, decernimus et mandamus.

§ 18. Et quoniam infidelium, ac præ cæteris Judæorum malitiam eo usque in odium christiani nominis processisse pluries compertum est, ut bona sua occultando, seu in alios transferendo, vel alias de illis inter vivos, vel etiam in ultima voluntate disponendo, filios, aliosque consanguineos ad Christi fidem conversos eorumdem bonorum successione, ad quam ab intestato legitime admittendi fuissent, aut etiam spe successione ejusdem fraudare tentaverint; ideo nos rec. mem. Gregorii PP. XIII, prædecessoris nostri, qui per suas quasdam sub annulo Piscatoris die 13 Septembris 1581, pontificatus sui anno decimo datas litteras hujusmodi malo, utpote in christianæ fidei detrimentum cedenti, occurrendum merito censuit, vestigiis inhærentes, Judæos quoslibet, sicut et alios infideles, bona sua, et jura quæcumque, in præjudicium filiorum, aut aliorum consanguineorum, qui alias ipsis ab intestato decedentibus successuri essent, et christianam susceperint Religionem, quocumque modo alienare, seu occultare, vel diminuere, inter vivos, aut in qualibet ultima voluntate, non posse; sed potius eadem bona, et jura quæcumque (tradita statim post Baptismum legitima, quibuscumque alias post obitum competere eorumdem) integre conservare, teneri, et obli-

gatos esse, tamque ipsos, quam alios bonorum eorumdem detentores, vel occupatores ad illa, seu eorum rationes, quoties opus fuerit, exhibenda, et de eisdem inventarium legitime faciendum, et de utendo, et fruendo arbitrio boni viri cavendum, opportunis juris, et facti remediis compelli posse; atque in eorum bonis in juribus, si in infidelitate decesserint ipsorum filios, seu alios quoscumque consanguineos, ut præfertur, christianos eodem prorsus modo, et jure, nulla etiam obstante ingratitude, aut alia quantumvis legitima exhæredationis causa; quam, ob suscepti postea Baptismi venerationem, sublatam prorsus esse volumus, succedere debere, ac si iidem Judæi, seu alii infideles, nullum fecissent, aut ordinassent testamentum, vel etiam ultimam voluntatem, omnesque, et singulas bonorum, et jurium, sive inter vivos, sive in ultima voluntate, alienationes, distractiones, aut alias dispositiones prædictas in hujus nostræ constitutionis fraudem, et in odium christianæ fidei factas, seu potius attentatas censi, ac nullius propterea roboris, et momenti esse, motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, tenore præsentium sancimus, decernimus, et ordinamus.

§ 19. Cæterum, ne dum provida sollicitudine temporalia conversis ad fidem commoda comparamus, spirituale animarum lucrum negligere videamur in convertendis; quemadmodum infideles cæteros, qui longe sunt, sacris missionibus institutis, evangelica prædicatione instruere non cessamus; ita de Judæis etiam, qui magno numero inter Christianos vivunt, et nostris quodammodo oculis observantur, æterna salute procuranda præcipue cogitamus. Tristitia enim nobis magna est (fidenter cum Apostolo dicimus) et continuus dolor cordi nostro, dum paterni amoris visceribus miseremur israeliticam gentem, olim Deo amabilem populum, quem elegit Dominus in hæreditatem sibi, et custodivit quasi pupillam oculi sui, nunc autem (postquam judaica in summum sceleris erumpente perfidia, vere iratus est furore Dominus in populum suum, et usque in finem abominatus est hæreditatem suam) velut gregem sine pastore dispersum per invia quæque, et in aquosa misere divagantem, ac verbi Dei, quod illi unicum superest, salutari pabulo destitutum, solo scilicet litteræ, quæ occidit, a Judæis cortice degustato, spiritu vero, qui vivificat, et animalibus hominibus non percepto.

§ 20. Propterea ad eosdem Judæos in sanctæ fidei veritate salubriter erudiendos, et trahendos ad Christum, ea omnia, et singula quæ de sacris lectionibus, seu sermonibus per singulas hebdomadas ad ipsos, ubicumque eorum Synagogæ fuerint, habendis memoratus Gregorius prædecessor noster in aliis suis anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octogesimo quarto, Kalendis Septembris, pontificatus sui anno tertio decimo, editis apostolicis litteris, quarum tenorem pro expresso in præsentibus haberi volumus, sapienter constituta sunt,

ab omnibus, ad quos pertinet, inviolate servari, et sicuti in desuetudinem ierunt, in usum revocari præcipimus, et mandamus, concionatores omnes, qui ad id munus electi fuerunt, specialiter admonentes, iisque in nomine Domini districtius injungentes, ut memoratos Judæos non injuriis, contumeliis, aut nimia verborum asperitate, quibus in judaica magis perfidia obfirmarentur, sed charitate potius, et mansuetudine, quam mitis nos et humilis corde Christus edocuit, velut oves errantes ad sanctæ Ecclesiæ causas suaviter allicere, et patefacta, ex veterum potissimum, quas venerantur, Scripturarum oraculis, christianæ veritatis luce, velamen ab oculis eorum detrahere omni studio satagant, ut ex judaica pravitatis tenebris, quibus obscurati sunt oculi eorum, ne videant, Dei omnipotentis operante virtute, liberentur.

§ 21. Postremo Judæos omnes, cæterosque infideles quoscumque, qui ad Baptismi gratiam, Deo donante, pervenerint, omnibus ecclesiarum prælatis ac sæcularibus etiam principibus per misericordiæ Dei nostri viscera, commendamus ut eos patrocinio foveant, auctoritate adjuvent, potentia tueantur, neque ab aliis, præsertim vero a Judæis, aut quibusvis infidelibus ulla in re indebite vexari patiantur, universosque ubique terrarum christifideles in Unigeniti Filii Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, ejus vice fungimur, nomine hortamur et obsecramus, ne venientes ex infidelitate, præsertim pauperes, despiciant, aut ayersentur, potius novella hujusmodi Ecclesiæ germina officis ac beneficiis, prout quisque poterit, excolere, et irrigare non desint, atque, ut veros in Christo fratres, ac domesticos fidei effectos benigne excipiant, in necessitatibus sublevent, et omni demum christianæ charitatis genere prosequantur, ut de suscepto sanctæ fidei proposito gaudium ipsorum sit plenum, et exsultatio, si vero, qui foris sunt et adhuc infidelitatis caligine detinentur, ad ejusdem Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium properandi exeitentur.

§ 22. Decernentes easdem præsentibus litteras etiam ex eo quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætententes, eisdem non consenserint, aut vocati, seu auditi non fuerint, aliaque quavis de causa, quantumvis legitima et in corpore juris clausa, de ullo subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, vel in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci nullatenus posse, sed semper et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, et ab iis ad quos spectat, et in futurum spectabit, inviolabiliter observari, sicut per quoscumque judices ordinarios, et delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, ubique judicari et definiri debere irritum quoque, et inane, quidquid secus super omnibus et sin-

gulis præmissis, vel circa ea a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 23. Non obstantibus de jure quæsito non tollendo, ac cæteris nostris, et cancellariæ regulis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon aliis quibuslibet, etiam juramento, confirmatione apostolica, aut alia quavis firmitate roboratis, statutis, consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris etiam apostolicis, seu etiam regiis, et imperialibus eisdem Judæis, vel infidelibus quibuslibet singulis, aut eorum Universitatibus quomodolibet, et ex quibusvis causis, etiam publicis, gravissimis et urgentissimis, atque etiam titulo oneroso, et vim contractus hinc inde obligatorii inducente concessis, quæ quatenus in detrimentum catholice fidei, quam humanis quibusque rationibus quicumque debet præferre christianus, quomodolibet vergant, et ad effectum duntaxat præsentium cassamus, et irritamus, ac cassa, et irrita esse decernimus, aliisque omnibus sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis quomodolibet in contrarium præmissorum editis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio facienda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna præsentibus pro plene et sufficienter expressis insertis, et servatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, et expresse derogamus ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§ 24. Ut autem eadem præsentibus litteræ omnibus innotescant, quibuscumque locorum ordinariis, in quorum diocesis aliqua Judæorum synagoga, aut notabilis aliorum infidelium numerus reperitur, injungimus et mandamus, ut ea omnia, quæ a nobis, ut præfertur, constituta et ordinata sunt ad eorumdem Judæorum, aliorumve infidelium notitiam quotannis semel seu pluries, et eo modo, qui iisdem ordinariis opportunior visus fuerit, sermone vernaculo deduci faciant, et in memoriam revocari, atque ut nemo prorsus earumdem litterarum ignorantiam allegare valeat, volumus, ut illæ, seu earum exemplum, ad valvas ecclesiæ Lateranensis, et basilicæ Principis apostolorum, ac præfatæ cancellariæ apostolicæ, curiæ generalis Innocentianæ, necnon in acie campi Floræ de eadem urbe per aliquem ex cursoribus nostris, pro ut moris est publicentur et affigantur, quæ sic publicatæ et affixæ omnes et singulos perinde afficiant, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

§ 25. Quodque illarum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in ecclesiastica